# D. ALPHONSI
# DE OLEA
*TRACTATUS*
## DE CESSIONE JURIUM ET ACTIONUM,
CUM SAC. ROTÆ ROMANÆ DECISIONIBUS
& D. CAROLI ANTONII DE LUCA SPICILEGIO.

# D. ALPHONSI DE OLEA J.C. HISPANI,

PRIMARIÆ CANONUM CATHEDRÆ INTERPRETIS emeriti in Pinciana Acad. & poſt in eadem Acad. Primariæ Legum Cathed. Anteceſſoris, in Regia Cancell. Pinciana Advoc. Regiæ Cancell. Granat. Fiſcalis, mox Senatoris, exinde Commiſſionis Millionum Regni Fiſci Patroni, nunc Conſil. Regii Patrim. Fiſcalis;

*TRACTATUS*

# DE CESSIONE JURIUM ET ACTIONUM,

IN QUO INSERTÆ SUNT SUO LOCO, ADDITIONES ſeu RESOLUTIONES, cum SACRÆ ROTÆ ROMANÆ DECISIONIBUS ad hancce Materiam facientibus.

OPUS THEORICIS ET PRACTICIS PERUTILE.

***EDITIO POSTREMA,***

IN QUA PRÆTER HACTENUS EDITAS DECISIONES, aliæ Noviſſimæ, D. CAR. ANTON. DE LUCA Spicilegium, Reſponſiones ad eumdem, & aliorum Objectiones in fine adjectæ ſunt.

*CUM DUPLICI INDICE, PRIMO ARGUMENTORUM & Reſolutionum, altero Rerum & Legum, quæ elucidantur.*

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M. DCC. LII.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

# AD LECTOREM.

EN Poſtremam *Tractatus de Ceſſione Jurium & Actionum D. Alphonſi de Olea* Editionem, omnibus aliis anteponendam, utpote quam non modò Additionibus, ſeu Reſolutionibus, olim ab Opere ſejunctis, ſuis loco & ordine inſertis cum ſuis Argumentis adornavimus, ſed & aliquot recentiſſimis Sacræ Rotæ Romanæ Deciſionibus hactenus ineditis locupletavimus.

---

## CENSURA

Clariſſimi, & Sapientiſſimi D.D.D. Garciæ de Bargas Caruaxal, à Conſiliis Hiſpaniarum Regis Philippi Quarti, & in ejus Regio Valliſoleti Senatu Cantabriæ ſummi Magiſtratus digniſſimi.

*Ex commiſſione Illuſtriſſimi Præſulis Valliſoletani.*

DE *Jurium, & Actionum Ceſſione* Tractatum, à meritiſſimo, ac genere nobilitato undequaque D. D. Alphonſo de Olea, primario Juris Pontificii digniſſimo Anteceſſore & in Pinciana Curia cauſarum Patrono, pro clientium tutelari ab omnibus murali, & clypeo quæſito, avidè, & enixè litium ſecuri quæritato.

*Nec deerit qui te per compita quærat Nolentem.*

Cupidus legi & libentiùs relegi, ac reconditæ Juriſprudentiæ theſauros evolvi, ac flores Ceſſionum delibavi, quibus indigeſtas moles quò uſque, & à politioris notæ interpretibus relicta, in lucem habita, velut à fœcundiſſimo agmine ejus doctrina, ac eruditione præpoſita, jam non tenebroſæ caliginis, ſed potiùs luminaris radiantis *Ceſſionum materia*, nomenclaturam promeretur.

*Nec longo ſatiavit lumine viſum.*

Nec ſaturarer unquam, etſi in dies ejus lectione nutrirer; ſiquidem tot margaritas, quot litteras poſſidens, ſeipſum celebrem, & immortalem conſtituit, & æternitati traditus ex ſui factoris gentilitio provocat aſpicientem, *Olea*, quaſi *ò legat* Quis namque ſimilem appenſam habuerit fortunam, quod eam non lucubrabitur? quis non invidet gloriam? ſed quis non cedet ceſſioni, & ceſſionis magiſterio?

*Quem legis, ut noris, accipe poſteritas.*

Nihil inveni quod Catholicis inſtitutis, ac puris moribus adverſetur, quin potius Authoris eximiam eruditionem, & ingenium commendat: & Juris Profeſſorum utilitati conſulitur, ſi publica luce donetur. Non ſolùm typis mandari, ſed immortalitatis adamantinis pugillaribus excuſum autumno, Gratetur Valliſoletana Minerva, & faveat Operi perpetuam acclamationem habituro. Valliſoleti 30. Decembris 1650.

*D. D. Garcia de Bargas Caruaxal.*

NOs el Doctor D. Garci Perez de Ulloa, Proviſor, Oficial, Vicario General deſta Ciudad de Valladolid, y todo ſub Obiſpado, por ſu ſeñoria el ſeñor D. Fr. Juan. Merinero, Obiſpo deſta Ciudad, y Obiſpado, del Conſejo del Rey nueſtro ſeñor, &c. Viſta la aprovacion hecha por el ſeñor: D.D. Garcia de Bargas, de Conſejo de ſu Mageſtad, y en virtud de remiſſion del ſeñor Obiſpo, Damos licentia pro lo que à Nos tocca al Doctor D. Alonſo de Olea, Cathedratico de Prima en la Univerſidad Real deſta Ciudad, para que ſe imprima el libro que tiene eſcrito, que intitula *Tractatus de Ceſſione Jurium & Actionum*. Valladolid à 16. dias del mes de Enero de 1658.

*Doctor Garci Perez de Ulloa.*

# DOCT. ALPHONSI
# DE OLEA
## TRACTATUS
# DE CESSIONE JURIUM, ET ACTIONUM.

## TITULUS PRIMUS.
## CESSIO ACTIONIS QUID SIT;
### Qualiter fiat, & quo Titulo.
### *EXORDIUM TITULI, ET COMMENDATIO MATERIÆ.*

UNA omnium interpretum ſententia eſt, ceſſionis jurium, & actionum Tractatum, difficilem, utilem, & ſubtilem eſſe: teſtatur Paul. de Caſtro, *in l. facta, §. ſi hæres, ff. ad S. C. Trebell. & in leg. ſi cum emptione, col. fin. ff. de pactis.* Et incertus ille Auctor, qui de Ceſſione jurium ſcripſit, utilem eſſe dicit materiam, multis incognitam, & in ea vidiſſe peritiores Juris interpretes errare: Bertazolus *de Clauſ. clauſ. 29. gl. 4. n. 4.* ita fatur: *Modo in hac materia ceſſionis plures ſe offerunt quæſtiones examinandæ, diſcutiendæque: quæ quidem materia eſt valde dubia, & in ea diverſi ſentiunt.* Idem tenuit Hippol. Montaner. *in addit. ad Olibanum de actionibus p. 2. l. 1. c. 4. in princ.* ibi: *Sed quia nonnulla de ceſſione jurium, & actionum in genere, a ſummo eſt nimis breviter, & ſuccincte de ceſſione dicta ſunt, quod non patitur materia ſubjecta, quæ ſubtilis, & difficilis eſt, ſparſa, & diffuſa pluribus in locis.* Ejuſdem judicii fuit Sfortia Odd. *in repet. leg. 3. Cod. de novat. in princ. a verſ. Expliciti*, ubi materiam de debitore ceſſo, ſubtilem, ſingularem, utiliſſimam, & intricatam appellat. Agnovit idem Paulus Gilleratus *de remun. l. 1. c. 4. in princ.* his verbis: *Sed quoniam hæc materia in pate quotidiana, utilis eſt, eademque confuſa, & inextricabilis fere: ideo eam pleno attingendam putavi, atque de ea proprium caput ſubjeci, ut cum ſit materia inſignis, videatur plene neglecta.*

Nobilem hunc, & utiliſſimum Juris Tractatum aggredimur, a nemine ad præſens, ne dicam elucidatum, ſed nec deguſtatum. Et licet Jacob. de Arena diffuſum in corpore Juris articulum *de Ceſſione Jurium*, in unum colligere polliceatur; ſitque qui ex antiquioribus majorem in eo operam impenderit; non tamen implevit diſputatio ſua folia quinque. Ex modernioribus vero nonnulla ſcripſerant Card. Tuſc. verb. *Cedens*, & verb. *Ceſſio*. Hippol. Montaner. Bertazol. & Gillerat. ſup. Guzman. *de evictión. q. 35.* Qui licet docte ſe habuerint, parum, aut nihil aperuerunt, & illuſtrarunt materiam.

### SUMMARIUM.

1 *Exordium tituli ab acceptione ceſſionis.*
2 *Ceſſionis variæ acceptiones, apud bonarum litterarum Auctores.*
3 *Ceſſio in jure multipliciter accipitur.*
4 *Cedere idem ſignificat, quod dimittere.*
5 *Rubrica titulorum quando jus faciant.*
6 *De ceſſione bonorum agendum non eſſe proponitur.*
7 *Debitor, qui cedit bonis, bona, & jura ſua dimittit creditoribus.*
8 *Tractatus de ceſſione bonorum nihil habet commune cum materia de ceſſione jurium.*
9 *Cedens bonis, poſt ceſſionem agere non poteſt in judicio.*
10 *Cedens diſſione poteſt poſt ceſſionem agere.*
11 *Actiones directæ manent inefficaces penes eum, qui ceſſit bonis.*
12 *Exceptio ceſſionis bonorum litis ingreſſum impedit.*
13 *Cedens bonis, ſi prælegat, an poſſit in judicio comparere.*
14 *Sententia lata cum eo, qui ceſſerat bonis, an ſubſiſtat, ſi litigans ceſſionis ignarus eſſet.*
15 *Cedens bonis, re integra pœnitere poteſt.*
16 *Res integra dicitur antequam creditores acceptent ceſſionem, ipſa concurſum.*
17 *Debitor deponens pecuniam, vel capitale cenſuum cedit-*

# S. R. ROMANÆ
# DECISIONES
AD
# D. ALPHONSI DE OLEA
TRACTATUM
# DE CESSIONE JURIUM ET ACTIONUM,

Collectæ per

**D. JO. DOMINICUM FANTINI,**

*J. U. D. in Foris Eccleſiaſticis Venetiarum Advocatum.*

Quibus additæ ſunt in hac poſtrema Editione Nonnullæ ad eamdem Materiam facientes.

*CUM SUIS INDICIBUS.*

# INDEX ARGUMENTORUM DECISIONUM SACRÆ ROTÆ ROMANÆ.


R. P. D. MELTIO.

Romana litterarum cambii.

*Lunæ 27. Aprilis 1643.*

ARGUMENTUM I.

Litteras cambii acceptans tenetur ad ſolutionem, nec poſt acceptationem poteſt mandans revocare ordinem ſolvendi. p. 501.

R. P. D. MELTIO.

Romana litterarum cambii.

*Veneris 15. Septembris 1643.*

ARGUMENTUM II.

Agitur de eadem materia, de qua in præcedenti deciſione. p. 502.

R. P. D. CERRO.

Tiburtina Salviani.

*Veneris 8. Junii 1646.*

ARGUMENTUM III.

Immiſſio in Salviano in poſſeſſionem competit, quando concurrunt omnia extrema in judicio Salviani neceſſaria. ibid.

R. P. D. ROYAS.

Romana fideicommiſſi de Marianis.

*Lunæ 10. Decembris 1646.*

ARGUMENTUM IV.

Liquidatio fructuum probatur ex libro receptionis eorum. p. 503.

R. P. D. CERRO.

Romana de Loraghis.

*Veneris 14. Junii 1647.*

ARGUMENTUM V.

Aſſignatio, & receptio inſolutum pro credito impoſterum declarando, nullum habet reſpectum ad hoc, vel illud creditum. p. 504.

R. P. D. VEROSPIO.

Bononienſ. litterarum cambii.

*Mercurii 19. Junii 1647.*

ARGUMENTUM VI.

Brevi numeratione recenſentur requiſita habilia ad ceſſionem crediti, ut ſolutionem in emptione importet. p. 506.

R. P. D. BICHIO.

Leodienſ. pecunia.

*Veneris 28. Junii 1647.*

ARGUMENTUM VII.

Creditor, in cujus gratiam fuit accollatio, poteſt agere de æquitate contra accollatorem, licet ipſe non fuerit præſens, nec pro eo fuerit ſtipulatum. p. 507.

R. P. D. BICHIO.

Romana cenſus.

*Lunæ 19. Decembris 1647.*

ARGUMENTUM VIII.

Datio inſolutum in unam cauſam non cedit in aliam. Accollatio extinguit debitum. p. 508.

R. P. D. BICHIO.

Romana domus.

*Lunæ 4. Maii 1648.*

ARGUMENTUM IX.

Hæres, qui habet facultatem alienandi, vel pignorandi bona teſtatoris pro ſolvendo ære alieno, an melius ſit pignorare, quam vendere: & debet ſervare formam a teſtatore præſcriptam; & aliis, de quibus in ſummario. p. 509.

R. P. D. BICHIO.

Avenionenſ. Salviani.

*Lunæ 4. Julii 1648.*

ARGUMENTUM X.

Credito probato cum hypotheca, & poſſeſſione, immiſſio denegari non ſolet. Præſcriptio non currit, quando adeſt mala fides. p. 511.

R. P. D. CELSO.

Romana litterarum cambii.

*Veneris 27. Novembris 1648.*

ARGUMENTUM XI.

Periculum nominis debitoris ceſſi pertinet ad cedentem, ſed dati inſolutum, vel delegati pertinet ad accipientem, cum aliis, de quibus in ſummario. p. 512.

R. P. D. DUNOZET.

Romana pecuniaria.

*Lunæ 21. Junii 1649.*

ARGUMENTUM XII.

Mandato de conſignando, quando ſit locus. Quomodo ex partita pecuniarum deſcripta in libro per bancherium transferatur dominium. Solutio in quam cauſam cedat. Et quando in apocha habeat locum præſumptio *l. ſcripturæ, C. qui potior. in pignor. habe.* p. 513.

R. P. D. CORRADO.

Romana Salviani.

*Veneris 18. Februarii 1650.*

ARGUMENTUM XIII.

Hypotheca extinguitur, quando res hypothecata jam pervenit ad manus creditoris jure dominii, etiamſi poſtea eadem res denuo redeat ad debitorem, ſive ejus hæredem vigore redemptionis. Et multa de reſolutione hypothecæ. p. 514.

# S. R. ROMANÆ DECISIONES

## ADDITÆ AD TRACTATUM D. ALPHONSI DE OLEA, DE CESSIONE JURIUM, ET ACTIONUM.

R. P. D. Bichio,

ROMANA LITTERARUM CAMBII.

*Lunæ 27. Aprilis 1693.*

### ARGUMENTUM.

Litteras cambii acceptans tenetur ad ſolutionem, nec poſt acceptationem poteſt mandans revocare ordinem ſolvendi.

### SUMMARIUM.

1 *Litteras cambii acceptans, remanet ei obligatus, ad cujus favorem litteræ ſcriptæ ſunt.*

2 *Litteræ cambii acceptata ſub proteſtatione non dicuntur ratificatæ, ſicut quando acceptantur ſimpliciter.*

3 *Litterarum acceptatio ſub proteſtatione non liberat acceptantem à ſolutione, ſed tantum eidem dicitur jus preſervatum contra mandantem.*

4 *Litteras cambii mandans poſt acceptationem ab eo, cui mandatur, non poteſt revocare ordinem de ſolvendo.*

5 Dictis: ipſorum; imponat dominium.

*Litteræ cambii poſſunt recipi in cauſam ſi magis pro ſicuum, & utilem, juxta probabilem veriſimilitudinem.*

### DECISIO I.

BErnardinus Coccapanius littera Cambii ſcut. 755. 16. 10. *d' oro*, ſibi a Joanne Taddæo, & Matthæo de Nicolinis Mercatoribus Florentinis tranſmiſſa ad favorem Thomæ, & Iacobi de Bettis, ſub proteſtu ex eo, quod Nicolini in eiſdem litteris adjecerant verba, *Ponete come p' avviſo*, & in litteris nuncupatis *d' aviſo*, monebant eumdem Coccapanium, ut ſummam ſcutor. 755. 16. 10. auri, quam ſolvere debebant eiſdem de Bettis vigore dictarum litterarum cambii poneret ad debitum Donati Contatoris Mercatoris liberaſſe. Cumque Coccapanius requiſitus ab eiſdem de Bettis ſolvere recuſaverit, introductum fuit judicium coram A. C. a quo ſententiam abſolutoriam reportavit; & cauſa in gradu appellationis mihi commiſſa, dubitavi, an hujuſmodi ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda, quod propoſito dubio, Domini pro infirmatione reſponderunt, ea ſcilicet ratione, quia dum Coccapanius litteras cambii acceptavit, ei remanſit obligatus ad cujus favorem litteræ fuerunt ſcriptæ *l. quoniam §. 1.* & ibi Gloſ. & Bartol. *ff. rem rat hab.* Salic. *in leg. ſi filiusfamilias, la ſeconda, ff. ad Senatus conſult. Maced.* Ripa *in leg. admonendi, n. 138.* ubi dicit, eſſe communem, *ff. de jure dot.* Bald. *conſ. 160. in princ. l. 1.* Gozadin. *conſ. 24. n. 6.* Maſcard. *de probat. concluſ. 988. n. 7.* Rot. *in Romana litterarum cambii 12. Februarii 1592.* coram bonæ memoriæ Cardin. Arigonio. Quia inter Mercatores omnis ſcriptura habet vim ſententiæ, & publici inſtrumenti, Scacc. *de appellat. q. 17. limit. 9. n. 3.* Reginel. *eod. tract. 8. 2. 5. n. 93.* Soc. jun. *conſ. 138. n. 8. l. 3.* & in ſpecie de litteris cambii. Navar. *conſ. 32. l. 5. de uſur.* Rota Jan. *rec. 2. per totam*, & præcipue *n. 10.* 1

Non obſtat, quod Coccapanius acceptaverit litteras non ſimpliciter, ſed ſub proteſtu, & litteræ tunc dicantur ratificatæ, quando Mercatores non contradicunt in illarum acceptatione, ut inquit Bald. *in l. abſenti, n. 6. verſ. tu dic ff. ſi certum petatur*, Rot. *dec. 815. n. 1. part. 1. diverſorum.* 2

Quia illa verba: *ſub proteſtu*, non liberant acceptantem a ſolutione, ſed tantum operantur, ut dicatur præſervatum jus ejuſdem acceptantis tales litteras contra mandantem, ſive eas ſcribentes; nec dicitur acceptatus debitor delegatus, ſed ipſemet ſcribens, & mandans intelligitur remanere obligatus, ut declarat Rota Jan. *deciſ. 6. n. 7. & 8. & deciſione 19. n. 3.* Scacc. *de camb. §. 2. gloſſa 5. n. 358. & gloſ. 9. n. 5.* Unde in præſenti caſu Coccapanius acceptando litteras, *facto proteſto*, remanſit quidem obligatus quoad Bettos, ad quorum favorem fuerunt litteræ tranſmiſſæ, ſed præſervavit ſibi jura ſe relevandi contra Nicolinos, qui ſcripſerunt, ut ſe relevaret a Donato Contatore; & cautus agendo voluit ſcribentes, non autem delegatum, in debitores habere, quod operatur acceptatio, & ſolutio *ſupra proteſto* Rot. Jan. *deciſione n. 7. & 8. deciſ. 23. n. 16.* Scacc. *de camb. §. 2. gloſſa 4. n. 318. & gloſſa 9. n. 5.* in litteris enim cambii duo continentur mandata reſpicientia diverſa facta diverſis temporibus explicanda: unum ſcilicet de ſolvendo; alterum de adnotando ad debitum tertii, ideoque mandatarius poteſt unum exequi ſine altero, ut per Rot. Januenſ. *dec. 19. n. 4.* 3

Non obſtat, quod prætendatur Nicolinus certioratus de tali acceptatione cum proteſtatione revocaſſe ordinem ſolvendi ex epiſtola, ſummario illorum de Bettis, *n. 30.*

# D. ALPHONSI
# DE OLEA
## JURIS CONSULTI HISPANI,
In Supremo Caſtellæ Senatu Conſiliarii, & Conſilii Regalis Patrimonii,

# RESPONSIONES
*Ad ſingulas quaſque per*
## D. CAROLUM ANTONIUM DE LUCA
In ſuo SPICILEGIO ad Tractatum de CESSIONE JURIUM, & ACTIONUM, alioſque Impugnatores, excogitatas
## OBJECTIONES.

### *Refelluntur* OBJECTIONES *excogitatæ per* D. CAROL. ANTON. DE LUCA, *in Spicilegio ad Tractatum meum* De Ceſſione Jurium, & Actionum.

SCRIPTORES Additionum ad libros aliorum Authorum in laudando eorum opiniones, non vero in eas improbando laborant: alienus eſt hic ſtylus a D. Carolo Anton. de Luca in ſuo Spicilegio, qui ſtudioſe ambit a me diſſentire: & licet ineptus, & vanus eſſet, qui exiſtimaret ſuas opiniones ab omnibus eſſe ſequendas; nullus tamen erit, cui non diſplicear ſe verbis acribus impugnari.

Id mihi accidit cum Carol. Ant. de Luca, cujus, & ſui Spicilegii editi Lugduni anno 1684 nullam habui notitiam, niſi a menſe Novembris anni 168; Gauderem equidem non vidiſſe librum tantæ in me adverſitatis; ſed tamen ejus objectiones breviter proſequar, non quia exiſtimem dignas eſſe ſatisfactione, ſed ne quis, non examinatis meis opinionibus, legerit ſuarum Quæſtionum Argumenta, & Summaria, dubitet an aliquo fundamento nitantur.

Sed prius notanda eſt hujus libri ſpecioſa inſcriptio, nempe *Spicilegium*. In cujus frontiſpicio gloriatur poſt deſudatam a me meſſem de Ceſſione Jurium, & Actionum, coacervaſſe in area dilapſas ſpicas. Sed ut impleret quæ promittit, debuit juxta inconcuſſum Addentium ſtylum, adnotare ad quamlibet ex quæſtionibus, & numeris noſtris ſuas Additiones; ut cognoſceretur, quænam eſſent ſpicæ a ſe collectæ. Ego additos invenio Altogradum, Montanum, & Sraiban, & aliquas Rotæ Deciſiones (ques libros numquam habui, ideoque in meo Tractatu relati non invenientur) præſertimque Cardinalem de Luca (cujus doctiſſima opera poſt noſtras editiones prodierunt,) quem in omnibus fere ſuis quæſtionibus laudat Car. Anton. de Lnca, quorum Authorum occaſione, quamvis nihil ſpeciale adferant, & ſat eſſet eorum nomina addere, illorum tamen dicta extendit, & Rotæ Deciſiones, ſimulque a me ſcripta adjungit, & ſæpius non me referendo, quod non eſt ſpicas dilapſas poſt deſudatam meſſem in area coacervare, ſed ſpicas meſſis noſtræ cum methodo compoſitæ, ſine methodo diſpergere, vel, ut aptiſſime loquitur, *coacervare*. Sed veniamus ad objectiones.

# D. CAROLI ANT. DE LUCA MELPHITENSIS,

# SPICILEGIUM DE CESSIONE JURIUM, ET ACTIONUM,

IN QUO POST DESUDATAM MESSEM
Clariſſimi, ac Celeberrimi Authoris D. ALPHONSI DE OLEA, dilapſæ
& manipulares Ceſſibilium Spicæ, tamquam in area
excuſſæ coacervantur.

*OPUS IN SCHOLIS ET SUBSELIIS UTILE & perneceſſarium.*

Indice duplici, priori Argumentorum ſingularum Quæſtionum, poſteriori
Rerum, & Verborum notabilium, locupletatum.

# INDEX ARGUMENTORUM QUÆSTIONUM OMNIUM,

Quæ in hoc SPICILEGIO de Ceſſione Jurium, & Actionum continentur.


I. CESSA parte crediti partim fœcundi, partim inſecundi, utrum penes cedentem remaneat pars fructifera, & utilior; vel potius confuſis juribus, tam cedens, quam ceſſionarius concurrant in utroque credito ſecundo? Sive an concurrentibus duobus ceſſionariis, ſecundus admittatur ad ſterile, vel ambo participent. Refertur deciſio S.R. Conſilii. pag. 1

II. Promiſſio evictionis, tam de jure, quam de facto, quid importet, explicatur. Refellitur Gaſp. Theſaur. in declaratione evictionis de jure. Ceſſionarius an poſſit moleſtari a creditoribus anterioribus cedentis ſuper nomine ceſſo. Refutantur Pariſ. & Charter. Et rejiciuntur Felician. D. Olea, & alii in declaratione evictionis de facto. 2

III. Exigibilitatis promiſſio an importet ſolum veritatem crediti ceſſi? Pro affirmativa opinione, uti ſingularis laudatur Gloſſa per Dom. Præſ. de Franch. Conſil. Hodiern. Emin. Card. de Luca, & alios. Stat in contrarium Montan. & Author interponit ſenſum ſuum. Quid ſi promittatur nomen bonum, utrum ſit idem, quod verum. 3

IV. Annuum reditum cedens, an teneatur dumtaxat præſtare verum, ſed non locupletem debitorem. Parum feliciter D. Olea allegat deciſionem 639. Merlini. Ponderatur deciſio D. Reg. Revertter. Et an recte obſervaverit D. Reg. de Marin. 4

V. Cedens annuum cenſum, & promittens verum, & idoneum, an teneatur ſemper idoneum præſtare. Gratianus affirmat, laudatus per Rot. Rom. & alios. Sed pro reſolutione recenſentur verba Em. Card. de Luca. ib.

VI. Promittere manutentionem, vel conſervationem cenſus, an idem ſit, ac promittere exigibilitatem facti. Et promittens exigibilitatem facti, cum dictione *ſemper*, vel in *perpetuum*, an teneatur ad perpetuam, vel ſolum referatur promiſſio ad tempus de futuro, ex cauſa tamen de preterito. Expenduntur deciſiones Rotæ Rom. Conſil. de Roſa. Card. de Luc. & noviſſima S.C. deciſio. 5

VII. Negligentia ceſſionarii poſt ceſſionem nominis debitoris an ipſi noceat. Diſtinguitur inter ceſſiones. Gratianus ſtat pro ceſſionario in credito habente tractum ſucceſſivum, & refellitur per Andreolum, & declaratur per D. Pratum. Quid ſi cedens acceſſerit uti fidejuſſor, & principalis. Rota Rom. per Authorem notatur. Promittens nomen idoneum, an teneatur procurare ſolutionem. Montanus refert deciſionem, ſed taxatur per Andreolum. Declaratur nuperrime S.C. deciſio pro Montano. 7

VIII. *Uſufructuarius poſt ceſſam uſusfructus commoditatem, an valeat de conſenſu proprietarii, vel debitoris uſusfructus cedere uſumfructum alteri, vel remittere proprietario in præjudicium primi ceſſionarii commoditatis?* Et quid in ceſſionibus fructuum officii, vel feudi. 9

IX. Ceſſio commoditatis uſusfructus quantum differat a ceſſione commoditatis penſionis. Et cedens commoditatem penſionis, an poſſit penſionem extinguere, vel transferre in præjudicium ceſſionarii. Rot. Rom. variavit. Penſionarius poteſt extinguere gratuito, & diminuere penſionem. Quid in penſionariis confidentiariis, an fiduciarius poſſit caſſare. Caſſa commoditate, & extincta per matrimonium, vel mortem per manus juſtitiæ, ob delicta capitalia, an agi poſſit de evictione per ceſſionarium. 10

X. Maximum diſcrimen inter ceſſionem ſimplicem, & ceſſionem inſolutum. Quæſtio cæterum ſit potius facti, quam juris, nec attendi cortex verborum debeat. Requiſita eſſentialia ut ceſſio inſolutum, & ceſſio fiſcalium per populos Regi debitorum, ſit ſimplex, & refertur deciſio. Quid ſi cedatur annuus reditus, an ſit ceſſio, ſive datio inſolutum. Promiſſa exigibilitate nominis ceſſi, an ſit ceſſio ſimplex. ibid.

XI. Tertius dans pecuniam debitori promittendo anteriore creditore, ceſſis juribus, an obtenta ceſſione, conſequatur anterioritatem creditoris dimiſſi, tam pro ſorte, quam pro reditibus poſt ceſſionem decurſis, vel juxta datam ſecundi contractus pro iis erit graduandus. Cautela ceſſionis juris fiendi ſecundum deciſionem 16. D. Reg. Latt. in Urbe non ſervatur, & qua ratione; Diſtinguuntur plures caſus, & referuntur deciſiones, & an requiratur ſcientia creditoris dimiſſi ad ſuam ſubintrandi. 11

XII. Ceſſio facta poſſeſſori, modico pretio tam dato creditori anteriori hypothecario, an valeat pro tota ſumma ceſſa, quando convenitur per ſecundum creditorem hypothecarium, vel pro rata pecuniæ ſolutæ. Ad intelligentiam legis, *qui a debitore*, C. *qui pot. in pign.* & legis *per diverſa*, C *mand.* 13

XIII. Jus adeundi hæreditates, ſive delatas, ſive deferendas, an poſſit cedi? Expenduntur deciſio 59. Dom. Præſ. de Franch. & deciſio 85. Dom. Reg. Rovit. pro opinione negativa, & deciſiones Rotæ Romanæ pro affirmativa, quoad hæreditates deſolvendas. ibid.

XIV. Ceſſo credito in judicio concurſus creditorum graduato ſexto loco, cum pacto inevictionis, nec ad reſtitutionem pretii in caſu, quo cedens excluderetur a ſingulis ex quinque creditoribus graduatis, aliter ſi ab aliis ſupervenientibus, ſi tertius creditor ſuperveniens fuerit antelatus illis quinque, quapropter quintum occupaverit ſextum locum, an cedens valeat pretium conſequi, ſi evictio ante ſolutionem illis ſecuta ſit? Ad ornatum deciſionis 336. *Præſ. de Franch.* nonnulla congeruntur. 14

XV. Ceſſio jurium facta per uxorem, ſi maritus *rem ſuam vendat*, interveniente ipſa, & renunciante ſuæ hypothecæ dotali, cum ceſſione jurium, cum reſervatione tamen ſui crediti, & hypothecæ ſuper aliis bonis mariti, an ſit tranſlativa? cum Andreolo, Olea, & aliis indicantur quæſtiones inſolubiles. 15

XVI. Ceſſa commoditate uſusfructus feudi prius uni, ſi deinde cedatur alteri, utrum primus ceſſionarius præferatur ſecundo? Explicatur quando concurrant ambo ceſſionarii, & præfertur primus. Et ceſſio juris emphyteutici quantum operetur. 17

XVII. Cedens nomen debitoris tale quale, vel actiones tales quales habet, an teneatur ad veritatem nominis, ut ſit, & actionum ut ſint; vel potius in caſu inexiſtentiæ ad nihilum teneatur? Et quid ceſſio fuerit dubitativa? An operetur clauſula: *che il cedente non ſia tenuto di veruna, o bogio, buono o cattivo.* ibid.

XVIII. Cedens poſt ceſſionem an poſſit gratioſe debitorem ceſſionis ignarum liberare, vel per confeſſionem de recepto, aut dilationem concedere in præjudicium ceſſionarii. Vel creditor extinguere ſuum nomen in præjudicium ſuorum creditorum? Notatur Cancer. Expenditur Cardin. de Luca illuminate diſtinguens, Authoriſque ſenſus aperitur. 18

XIX. Cohæres obtinens ceſſionem actionum in ſui beneficium a creditore hæreditario propria pecunia, an communicare teneatur ceſſionem cohæredibus, accepta rata pecuniæ datæ pro ceſſione? Ad hæc, num ceſſio hæc proſit contra alios creditores ipſi hæredi cum beneficio inventarii. An jure improbetur D. Præſ. de Franch. *in dec.* 410. *&* 248. 19

XX. Filiæ, vel ſorori volenti Monaſterium ingredi, an debeatur a patre, vel fratre integrum paragium, & poſſit cedi exceſſus, qui non tribuitur Monaſterio? D. Reg. de Marin. refellit. Conſil. Provenzal. Expenduntur deciſiones Rot. Rom. Rejicitur D. Olea, & diſtinguitur cum Card. de Luca. 20

# SPICILEGIUM DE CESSIONE JURIUM, ET ACTIONUM D. CAROLI ANTONII DE LUCA.

*Exordium Tituli, & Commendatio Materiæ.*

IN læta ſegete, & copioſa de Ceſſione Jurium, & Actionum meſſe, Jacobus de Arena, qui ex antiquioribus in ea majorem operam impendit, manipulum fere collegit; quia ſua diſputatio vix quinque folia implevit. Ex Modernis nonnulla ſcripſere Cardin Tuſchus, Hippolytus Montaner, Bertazolus, Galleratus, Guzman, & D. Meſa, qui licet docte ſe habuerint; parum tamen, aut nihil aperuere: ut tradit D. D. Alphonſus de Olea in exordio ejuſdem Tractatus. Ex Recentioribus mirifice illuſtravit rem idem D. Olea: at in primo loco ſpicarum copiam derelinquendo, poſtmodum duplo majus adauxit opus; & quia Dei ſolum perfecta ſunt opera, & facile eſt inventis addere, ſeu ut ille cecinit, *Inopem me copia fecit*; & materia ab omnibus commendatur, ut ex Bertazolo, Hippolyto Montaner, & Oddo probat idem Olea *ubi ſupra*, qui recenſet Galleratum *de renunciation. lib.* 1. *c.* 4. ita loquentem: *Sed quoniam hæc materia, utpote quotidiana, utilis eſt, eademque confuſa, & inextricabilis fere; ideo eam attingendam putavi, atque de ea proprium caput ſubjeci, ne cum ſit materia inſignis, videatur pene neglecta*: ideo poſt diligentiſſimi meſſoris de Olea ſpicas dilapſas prætermiſſarum quæſtionum, ipſe recolligere ſub *Spicilegii* titulo operæ pretium duxi, & grana ex ſpicis excutere.

## ARGUMENTUM

Ceſſa parte crediti partim fœcundi, partim infœcundi, utrum penes cedentem remaneat pars fructifera, & utilior; vel potius confuſis juribus, tam cedens, quam ceſſionarius concurrant in utroque credito ſecundo? Sive an concurrentibus duobus ceſſionariis, ſecundus admittatur ad ſterile, vel ambo participent? Refertur deciſio S. R. Conſilii.

## SUMMARIUM.

1 *Creditum fœcundum, & infœcundum exemplificatur, & declaratur antitheſis.*
2 *Solutio prius cedit in intereſſe, ideoque potior erit cedens, vel poſtremus ceſſionarius.*
3 *Cedens præſumitur ſibi reſervaſſe potiora jura, ut ſibi utilior.*
4 *Cedens ſi cedat ex æquitate, facit, quod ſibi non nocet.*
5 *Clauſulæ:* Ut ceſſio non officiat cedenti, nec directe, nec indirecte, nec ex quibuſcumque cauſis, *fiat ad favorem cedentis, vel poſtremi ceſſionarii.*
6 *Pro contrariis argumentum præſtat æqualitas ſervanda inter contrahentes.*
7 *Solutio facta per tertium, cedit in intereſſe, juxta* Annam in alleg. 112.
8 Refertur *caſus in S. R. Conſilio deciſus pro æqualitate.* D. *de Luca Addit. ad Tract. de Ceſſ. Jur.*
9 *Declaratur* Anna *per* D. D. Hodiernam, & D. Reg. Lan.
10 *Author componit opiniones diſtinguendo.*

## QUÆSTIO I.

IN fœcunditate, vel fertilitate non differt creditum ſortis redituális, ab illo cenſuum in Regno noſtro: quia ſicut ſors producit fructus, ita cenſus producit intereſſe, licet minus grave, ſcilicet ad rationem quinque pro centenario, poſtquam cenſus aſcendunt ad notabilem ſummam ducatorum centum, juxta deciſionem 254. Præſ. de Franch. & ibi Addentes. Intereſſe demum non datur alterius intereſſe, cum ita eſſet interare anatociſmum, ut tradit Anna *conſ.* 48. Dom. Reg. Lanro *conſ.* 59. Pratus *obſerv.* 12. Cardin. de Luca *lib. de uſur. diſc.* 30. *n.* 14. *& de cenſib. diſc.* 2. *& lib. de ſociet. offic. diſc.* 10. 1

Ad reſolutionem quæſtionis deſcendendo, ad favorem cedentis, vel poſtremi ceſſionarii arguitur, quia ſolutio prius cedit in intereſſe de ſui natura ſterile, *l. cum ex pluribus, ff. de ſolut. l. Julianus, ff. de act. empt. l. Titia, C. de ſolut.* D. Reg. Lan. *dec.* 21. *n.* 5. qui ita pluries per S. C. deciſum refert: adhuc ſi intereſſe non ſit liquidum, conſequenter cenſetur primo loco ceſſum creditum ſterile, & ſic remanet fructiferum penes cedentem, quod per ceſſionem ſecundo loco factam transfertur in ſecundum ceſſionarium. Et recte, cum tertius ſolvens repræſentet perſonam debitoris. 2